Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 715
Quelle:
Copyright:

ſtolis poſt Chriſti aſcenſionem in ciuitate manere juſſis inſtituto morem recentius inductum ita refert Noſter: *Nam cum exigentibus peccatis galliarum populi luporum rabie acriter interirent. nec illius flagelli adeo remedium inueniri poſſet. Congregati traduntur galliarum epiſcopi apud uiennam precipuam gallie vrbem atque in commune ſtatuerunt ut triduano ieiunio domini miſericordiam implorarent antiquorum patrum ueſtigia ſequentes. Cumque ad eorum preces oculus diuine miſericordie reſpiciens flagelli hujus peſtem miſericorditer abſtuliſſet, hij dies in conſuetudinem annue celebritatis venerunt ut per galliarum prouintias ante aſcenſionis domini diem celebrarentur. Agamus ergo et nos hos dies* &c. Urget dein officia vitae chriſtianae praecipue Fidem, Spem et Caritatem, quas per *piſcem*, *ovum* et *panem* apud *Lucam C.* 11. deſignari contendit, finitque: *in precibus perſeuerare debetis quousque has tres uirtutes impetrare a domino ualeatis. Quod ipſe nobis concedat, qui* &c. Autorem ignoro, qui ex allatis Gallus fuiſſe non videtur.

XIX. *fol.* 134. p. 2. *Sermo de aſcenſione domini.* Et manu recentiore: *leonis pape.* Recte; legitur enim edit. *Opp. Venet.* 1748. p. 76. hoc initio: *Sacramentum dilectiſſimi ſalutis noſtre quam pretio ſanguinis ſui* &c.

XX. *fol.* 136. *Item de aſcenſione domini ſermo.* Initium: *Hec feſtiuitas fratres kariſſimi ideo aſcenſio domini vocatur quia in illa humanitas quam filius dei aſſumpſit ex nobis aſcendit in celum* &c. Finis: *Quod ipſe uobis concedat qui pro noſtra ſalute naſci mori reſurgere et ad celos aſcendere uoluit. Qui cum deo* &c. Ab eodem ignoto Autore *Sermones* omnes *'αδεσποτοις* hujus *Codicis* proficiſci puto.

XXI. *fol.* 137. *In natiuitate Johannis baptiſte Sermo maximi epiſcopi.* Incipit: *Solempnitates nobis diuerſorum martirum fratres kariſſimi uite preſentis occaſus* &c. ut *Bibl. PP. Lugd.* T. VI. p. 32. et edit. *Venet. ſuprac.* p. 135.

XXII. *fol.* 138. *Sermo Leonis pape in feſto petri et pauli apoſtolorum.* Incipit: *Omnium quidem ſanctarum ſolempnitatum dilectiſſimi totus mundus eſt particeps* &c. ut edit. *Venet. ſuprac.* p. 83. ſed nobis his verbis peroratur: *et finis fecit equales*, nec adeſt clauſula Editorum.

XXIII. *fol.* 139. *Sermo beati Johannis* (Chryſoſt.) *epiſcopi de beato paulo apoſtolo.* Initium: *Beatus paulus qui tantam uim alacritatis humane* &c. Eſt *Tertius* de Laudibus Pauli et legitur edit. *Maur. graecolat. Pariſ.* 1718. T. II. *col.* 486. Item *Lugd. lat.* 1687. T. III. p. 318.

XXIV. *fol.* 141. *Sermo leonis pape de ephifania domini noſtri ihesu chriſti.* Incipit: *Gaudete in domino dilectiſſimi iterum dico gaudete* &c. Eſt II. de hoc Feſto et legitur edit. *Venet. ſuprac.* p. 30. *Codex* mox ſub initium pro *perſequentibus* habet *non credentibus*,

et